Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

P.Terentij sex:|| quae extant: Comoediae. An=||dria. Eunuch[us]. Heautontimo=||rumenos. Adelphi. Ecyra.|| Phormio.|| ... [qui]=||b[us] erudita Philippi Melę Brettani p̃posita est epi||stola ... || ...

Terentius Afer, Publius

Lipsiae, 1519

Actvs primvs

urn:nbn:de:bsz:31-114211

Visual Library

Non qui Argumentum narret, sed qui maleuoli
Veteris Poetæ maledictis respondeat.
Nunc quam rem uitio dent, quæso animũ aduortite.
Mænander fœcit Andriam & Perinthiam,
Qui utramuis recte norit, ambas nouerit.
Non ita sunt dissimili Argumento, sed tamen
Dissimili oratione sunt factæ, ac stilo.
Quæ conuenere in Andriam, ex Perinthia
Fatetur transtulisse, atq; usum pro suis.
Id isti uituperant factum, atq; in eo disputant,
Contaminari non decere fabulas.
Faciunt næ intellegendo, ut nihil intellegant.
Qui cum hunc accusant, Neuium, Plautum, Ennium
Accusant, quos hic noster autores habet:
Quorum æmulari exoptat neglegentiam
Potius, q̃ istorum obscuram diligentiam.
Dehinc, ut quiescant porro moneo, & desinant
Maledicere, malefacta ne noscant sua.
Fauete, adeste æquo animo, & rem cognoscite,
Vt pernoscatis, & quid spei sit relliquum.
Post hac quas faciet de integro Comœdias
Spectandæ, an exigendæ sint uobis prius.

ACTVS PRIMVS.

SIMO SENEX. SOSIA SERVVS.

Trimetri omnes.

Os istæc intro auferte, abite, Sosia
Ades dum, paucis te uolo. So. Dictum puta,

Nempe ut curentur recte hæc. Si. immo aliud. So. quid est
Quod tibi mea ars efficere hoc possit amplius? Si.
Nihil istac opus est arte, ad hanc rem quam paro,
Sed his, quas semper in te intellexi sitas,
Fide & taciturnitate. So. Expecto quid uelis. Si.
Ego postq̃ te emi a paruulo, ut semper tibi
Apud me iusta & clemens fuerit seruitus
Scis, feci ex seruo ut esses libertus mihi,
Propterea quod seruiebas liberaliter,
Quod habui summũ precium persolui tibi. So.
In memoria habeo. Si. Haud muto factum. So. Gaudeo
Si tibi quid fœci, aut facio, quod placeat Simo, &
Id gratum fuisse aduersum te, habeo gratiam.
Sed mihi hoc molestum est, nam istæc commemoratio
Quasi exprobratio est immemoris beneficii.
Quin tu uno uerbo dic, quid est quod me uelis. Si.
Ita faciam, hoc primum in hac re prædico tibi,
Quas credis esse has, non sunt ueræ nuptiæ. So.
Cur simulas igitur? Si. Rem omnem a principio audies,
Eo pacto & Gnati uitam, & consilium meum
Cognosces, & quid te facere in hac re uelim.
Nam is postq̃ excessit ex Ephæbis Sosia,
Liberius uiuendi fuit potestas, nam antea
Qui scire posses, aut ingenium noscere,
Dum ætas, metus, magister prohibebant? So. Ita est. Si.
Quod plæriq; omnes faciunt adulescentuli,
Vt animũ ad aliquod studium adiungant, aut equos

Alere, aut canes ad uenandum, aut ad Philosophos.
Horum ille nihil egregie præter cætera
Studebat, & tamen omnia hæc mediocriter.
Gaudebam. So. Non iniuria, nam id arbitror
Apprime in uita esse utile. VT NE QVID NIMIS. Si.
Sic uita erat, facile omnes perferre ac pati
Cum quibus erat, cunq; una his sese dedere,
Eorum obsequi studiis, aduersus nemini,
Nunq; præponens se illis, ita ut facillime
Sine inuidia laudem inuenias, & amicos pares. So.
Sapienter uitam instituit, naq; hoc tempore
OBSEQVIVM AMICOS, VERITAS odium parit. Si.
Interea mulier quædam ab hinc triennium
Ex Andro commigrauit huic uicinæ,
Inopia & cognatorum negligentia
Coacta, egregia forma, atq; ætate integra. So.
Hei uereor, ne quid Andria adportet mali. Si.
Primum hæc pudice uitam, parce, ac duriter
Agebat, lana & tela uictum quæritans.
Sed postq; amans accessit precium pollicens
Vnus & item alter (ITA VT INGENIVM est omnium
Hominum A LABORE PROCLIVE ad lubidinem)
Accepit conditionem, dehinc quæstum occipit.
Qui tum illam amabant, forte (ita ut fit) filium
Perduxere illuc secum, ut una esset, meum.
Egomet continuo mecum, certe captus est,
Habet. obseruabam mane illorum seruulos

Venienteis aut abeunteis, rogitabam, heus puer
Dic Sodes, qui heri Chrysidem habuit? nam Andriæ
Illi id erat nomen: So. teneo. Si. Phedriam aut Cliniam
Dicebant, aut Niceratum (nam hi tres tum simul
Amabant) eho quid Pamphilus? quid? Symbolam
Dedit, cœnauit. gaudebam. item alio die
Quærebam, comperiebam nihil ad Pamphilum
Quicq̃ attinere. enimuero spectatum satis
Putabam, & magnum exemplum continentiæ.
Nam, qui cum ingeniis conflictatur eiusmodi,
Neq; commouetur animus in ea re tamen,
Scias posse habere iam ipsum suæ uitæ modum.
Cum id mihi placebat, tum uno ore omnes omnia
Bona dicere, & laudare fortunas meas,
Qui Gnatum haberem tali ingenio præditum.
Quid uerbis opus est? hac fama impulsus Chremes
Vltro ad me uenit, ut unicam Gnatam suam
Cum dote summa filio uxorem daret.
Placuit, despondi, hic nuptiis dictus est dies. So.
Quid obstat cur non ueræ fiant? Si. Audies.
Fere in diebus paucis, quibus hæc acta sunt,
Chrysis uicina hæc moritur. So. O factum bene.
Beasti, metui à Chryside. Si. Ibi tum filius
Cum illis qui amabant Chrysidem, una aderat frequens,
Curabat una funus, tristis interim,
Nonnunq̃ collacrumabat, placuit tum id mihi.
Sic cogitabam. hic paruæ consuetudinis

Caussa, mortem huius tam fert familiariter,
Quid si ipse amasset? quid mihi hic faciet patri?
Hæc ego putabam esse omnia humani ingenii
Mansuetiq; animi officia. Quid multis moror?
Egomet quoq; eius caussa in funus prodeo,
Nil suspicans etiam mali. So. Hem quid est? Si. Scies.
Effertur, imus, interea inter mulieres
Quæ ibi aderant, unam aspicio adulescentulam,
Forma, So. Bona fortasse. Si, & uoltu Sosia
Adeo modesto, adeo uenusto, ut nihil supra.
Quæ mihi tum lamentari præter cæteras
Visa est, & quia erat forma præter cæteras
Honesta ac liberali, accedo ad pedissequas,
Quæ sit rogo, sororem esse aiunt Chrysidis.
Percussit illico animũ, at at, hoc illud est,
Hinc illæ lacrumæ, hæc est illa misericordia. So.
Quam timeo quorsum euadat. Si. Funus interim
Procedit, sequimur, ad sepulchrum uenimus,
In ignem positast, fletur. interea hæc soror
Quam dixi, ad flammã accessit imprudentius
Satis cum periculo. ibi tum exanimatus Pamphilus
Bene dissimulatum amorem, & cælatum indicat.
Adcurrit, mediam mulierem complectitur,
Mea Glycerium inquit, quid agis? cur te is perditum?
Tum illa (ut consuetum facile amorem cerneres)
Reiecit se in eum, flens q̃ familiariter. So.
Quid ais? Si. Redeo inde iratus atq; ægre ferens,

Nec satis ad obiurgandum caussæ, diceret,
Quid fœci? quid commerui, aut peccaui pater?
Quæ sese uoluit in ignem iniicere, prohibui,
Seruaui. honesta ratio est. So. Recte putas.
Nam si illum obiurges, uitæ qui auxilium tulit,
Quid facies illi, qui dederit damnum aut malum? Si.
Venit Chremes postridie ad me clamitans,
Indignum facinus comperisse se, Pamphilum
Pro uxore habere hanc peregrinam. ego illud sedulo
Negare factum. ille instat factum. denique
Ita tum discedo ab illo, ut qui se filiam
Neget daturum. So. Non tu ibi Gnatum? Si. Nec quidem hæc
Satis uehemens caussa ad obiurgandum. So. qui? cedo. Si.
Tute his rebus finem præscripsisti pater,
Prope adest, cum alieno more uiuendum est mihi,
Sine nunc meo me uiuere interea modo. So.
Quis igitur relictus est obiurgandi locus? Si.
Si propter amorem uxorem nolit ducere,
Ea primũ ab illo animaduertenda iniuria est.
Et nunc id operam do, ut per falsas nuptias,
Vera obiurgandi caussa sit, si deneget.
Simul sceleratus Dauus, si quid consili
Habet, ut consumat nunc, cum nihil obsint doli.
Quem ego credo manibus pedibusq; obnixe omnia
Facturum, magis id adeo, mihi ut incommodet,
Quam ut obsequatur Gnato. So. Quapropter? Si. Rogas?
Mala mens, malus animus. quem quidem ego si sensero.

Sed quid opus est uerbis? sine euenìat quod uolo,
In Pamphilo ut nihil sit moræ. restat Chremes
Qui mihi exorandus est, & spero confore.
Nunc tuum est officium, has bene ut assimules nuptias,
Perterrefacias Dauum, obserues filium,
Quid agat, quid cum illo consilii captet. So. sat est,
Curabo, eamus iam nunc intro. Si. I præ, sequar.

SIMO DAVVS.

Partim Senarii, partim Quadrati, Dimeter unus.

On dubium est, quin uxorem nolit filius,
Ita Dauum modo timere sensi, ubi nuptias
Futuras esse audiuit, sed ipse exit foras. Da.
Mirabar hoc si sic abiret, & heri semper lenitas
Verebar quorsum euaderet.
Qui postq audierat non datum iri uxorem filio suo,
Nunq cuiq nostrum uerbum fœcit, neq id ægre tulit. Si.
At nunc faciet, neq (ut opinor) sine tuo magno malo. Da.
Id uoluit, nos sic nec opinantes duci falso gaudio,
Sperantes iam amoto metu, inter oscitantes opprimi,
Ne esset spacium cogitandi ad disturbandas nuptias.
Astute. Si. carnifex quæ loquis? Da. Herus est, neq puideram. Si.
Daue. Da. Hem quid est? Si. Ehodũ ad me. Da. Quid hic uult?
Si. Quid ais? Da. Qua de re? Si. Rogas?
Meum Gnatum rumor est amare. Da. Id populo curat scilicet. Si.
Hoccine agis an nõ? D. Ego uero istuc. S. sed nũc ea me exquirere,
Iniqui patris est. nam quod antehac fœcit, nihil ad me attinet,
Dum tempus ad eam rem tulit, sui animũ ut expleret suum.

NVNC HAEC Dies, aliam uitam adfert, alius mores postulat.
Dehinc postulo, siue æquũ est te oro Daue, ut redeat iã i uiam. D.
Hoc qd sit miror. Si. si q̃ris, dicãoẽs q amãt grauiter sibi dari uxorẽ
Ita aiũt. Si. Tum si qs mgr̃m cœpit ad eã rem improbũ, (fert. D.
Ipsum animũ ægrotum ad deteriorẽ partẽ plærũq; adplicat. Da.
Non hercle intellego. S. nõ? hẽ. D. non. Dauus sum, nõ Oedip⁹. S.
Nempe ergo aperte uis quæ restãt me loqui? Da. sane quidem. Si.
Si sensero hodie quicq̃ in his te nuptiis fallaciæ
Conari quo fiant minus, aut uelle in ea re ostendere q̃ sis callidus
Verberibus cæsum te Daue in pistrinũ dedam, usq; ad necem,
Ea lege atq; omine, ut, si te inde exemerim, ego pro te molam.
Quid hoc, intellextin? an nondũ? non hoc quidẽ? D. imo callide
Ita aperte ipsam rem modo locutus, nil circuitione usus es. Si.
Vbiuis facilius passus sim, quam in hac re me deludier. Da.
Bona uerba quæso. Si. Irrides? nihil me fallis, sed dico tibi
Ne temere facias, neq; haud dicas tibi non prædictum, caue.

DAVVS SOLVS

¶ Eiusdem rationis sunt uersus cui⁹ scænæ superioris.

Nimuero Daue nihil loci est segnitiæ, neq; socordiæ,
Quãtum intellexi modo senis sententiam de nuptiis,
Quæ, si non astu prouidẽt, me aut herũ pessundabũt.
Nec quid agam certũ est, Pamphilũ ne adiutẽ, an auscultem seni.
Si illum relinquo, eius uitæ timeo. sin opitulor, huius minas,
CVI Verba dare difficile est. primũ iam de amore hoc comperit,
Me infensus seruat, ne quam faciam in nuptiis fallaciam.
Si senserit, perii. aut si libitum fuerit, caussam cœperit
Quo iure, quãq; iniuria præcipitem me in pistrinum dabit.

Ad hæc mala hoc mihi accedit etiam. hæc Andria,
Siue ista uxor, siue amica est, grauida e Pamphilo est.
Audireq; eorum est operæprecium audaciam.
NAM incepcio est amentium haud amantium,
Quicquid peperisset decreuerunt tollere.
Et fingunt quandam inter se nunc fallaciam,
Ciuem atticam esse hanc. Fuit olim quidam senex
Mercator, nauem is fregit apud Andrum insulam,
Is obiit mortem, ibi tum hanc eiectam Chrysidis
Patrem recepisse orbam, paruam, fabulæ.
Mihi quidem hercle non fit uerisimile,
Atq; ipsis commentum placet. Sed Mysis ab ea egreditur.
At ego hinc me ad forum, ut conueniam Pamphilum,
Ne de hac re pater imprudentem opprimat.

MYSIS ANCILLA.

¶ Octonarii omnes.

Vdiui Archyllis, iam dudum Lesbiam adduci iubes,
2 Sane pol illa temulenta est mulier & temeraria,
Neq; satis digna, cui committas primo partu mulierē.
Tamen adducam eam, importunitate spectate aniculæ,
Quia comprotrix eius est. dii date facultatem obsecro
Huic pariundi, atq; illi in aliis potius peccandi locum.
Sed quidnam Pamphilum exanimatum uideo? uereor quid siet.
Opperiar, ut sciam quidnam hæc turba tristiciæ adferat.

PAMPHILVS. MYSIS.

¶ Quadrati partim, Trimetri nonnulli, Monometer unus, & Dimeter alter.

Hoccine est humanum factum aut inceptū? hoccine officium patris? My. Quid illud est? Pam.
Proch deum atq; hoīm fidē, quid est, si hæc non cotumelia est?
Vxorem decrerat sese dare mihi hodie, nonne oportuit
Præscisse me ante? nonne prius conmunicatum oportuit? My.
Miseram me, qd uerbū audio. Pam. qd Chremes, q denegauerat
Se commissurum mihi Gnatam suam uxorem, id mutauit, quia
Me immutatum uidet. ita nē obstinate operam dat, ut
Me a Glycerio miserum abstrahat? quod si fit, pereo funditus.
Adeon hominē inuenustum esse, aut infœlicē quenq̄ ut ego sum?
Proch deum atq; hominum fidem, nullon ego
Chremis pacto affinitatem effugere potero? quot modis
Contemptus, spretus, facta, transacta omnia. hem,
Repudiatus repetor, quamobrem? nisi id est quod suspicor,
Aliquid monstri alunt. ea quoniam nemini obtrudi potest,
Itur ad me. My. oratio hæc me miseram exanimat metu. Pam.
Nam quid ego nunc dicam de patre? Ah tantam ne rem
Tam neglegenter agere? præteriens modo, mihi apud forum
Vxor tibi ducenda est Pamphile hodie inquit. para, abi domū.
Id mihi uisus est dicere, abi cito ac suspende te.
Obstupui, censen me uerbum potuisse ullum proloqui?
Aut ullam caussam ineptam saltem, falsam, iniquā? obmutui.
Quod si ego rescissem id prius, quid facere si quis nunc me roget?
Aliquid facerem, ut hoc ne facerē. sed nūc quid primū exequar?
Tot me impediunt curæ, quæ meum animū diuorse trahunt,
Amor, misericordia huius, nuptiarum solicitudo,
Tum patris pudor, qui me tam lenii passus est animo usq; adhuc,

Quæ meo, cunq; animo libitum est facere, ei ne ego ut
Aduerser? hei mihi, incertum est quid agam. My.
Misera timeo incertum hoc quorsum accidat. sed nunc peropust
Aut hunc cum ipsa, aut aliquid de illa me aduersum hunc loqui,
DVM in dubio est animꝰ, paulo momẽto huc illuc ĩpellit. Pam.
Quis hic loqt? Mysis salue. M. o salue Pam. P. qd agit? M. rogas?
Laborate dolore, atq; ex hoc misera solicita est die,
Quia olim ĩ hunc sunt constitutæ nuptiæ. tum autem hoc timet,
Ne deseras se. Pam. Ego ne istuc conari queam?
Ego propter me illam decipi miseram sinam?
Quæ mihi suum animum atq; omnem uitam credidit?
Quam ego animo egregie charam pro uxore habuerim?
Bene & pudice eius doctum atq; eductum sinam
Coactum egestate ingenium immutarier?
Non faciam, My. Haud uereor, si in te solo sit situm.
Sed uim ut queas ferre? Pam. Adeon me ignauom putas?
Adeon porro ingratum, aut inhumanum, aut ferum?
Vt neq; me consuetudo, neq; amor, neq; pudor
Commoueat? neq; commoneat, ut seruem fidem? My.
Vnum hoc scio, hanc meritam esse, ut memor esses sui. Pam.
Memor essem? o Mysis, Mysis, etiam nunc mihi
Scripta illa dicta sunt in animo Chrysidis
De Glycerio. iam ferme moriens me uocat,
Accessi, uos semotæ, nos soli, incipit,
Mi Pamphile, huius formã atq; ætatem uides,
Nec clam te est, q̃ illi nunc utræq; res inutiles,
Et ad pudicitiam, & ad rem tutandam sient.

Quod ego per hanc te dextram oro & genium tuum,
Per tuam fidem, perq; huius solitudinem
Te obtestor, ne abs te hanc segreges, neu deseras,
Si te in Germani fratris dilexi loco.
Siue hæc te solum semper fœcit maxumi,
Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus.
Te isti uirum do, amicum, tutorem, patrem
Bona nostra hæc tibi committo, & tuæ mando fidei.
Hanc in manum dat, mors continuo ipsam occupat,
ACCEPI, acceptam seruabo. My. ita spero quidem. Pam.
Sed cur tu abis ab illa? My. obstetricem adcerso. Pam. Propera,
Atq; audin, uerbum unum caue de nuptiis,
Ne ad morbum hoc etiam. My. teneo.

ACTVS SECVNDVS.

CARINVS. BIRRIA. PAMPHILVS.

Versus partim Octonarii, partim Senarii, nonnulli Penthametri.

Vid ais Birria? daf ne illa Páphilo hodie nuptum? B.
Sic est. C. qui scis? B. apud forũ mõ e Dauo audiui. C.
VT ANIMVS IN SPE atq; timore usq; ante cueb
hac attentus fuit misero mihi.
Ita, postq; adempta spes est, lassus, cura confectus stupet. Bi.
Quæso ædepol Carine, QVOniã nõ põt id fieri qd uis, id uelis
Quod possit. C. Nihil uolo aliud nisi Philomenam. Bi.
Ah quanto satius est te id dare operam,
Qui istum amorem ex animo amoueas tuo,
Quam id loqui, quo magis lubido frustra incendatur tua. Ca.
FACILE omnes cũ ualemus, recta consilia ægrotis damus.